

De Existentia Incarnationis.

QVÆSTIO II.

De conuenientia & necessitate Incarnationis.

Sanctus Thomas quæst. 1.

Posito quod fieri poterit, & re ipsa facta sit Incarnatio, statim quæritur vtrum conueniens & necesse fuerit vt illa fieret. Vbi video quadrupliciter dubitari posse, primò vtrum absolute decuerit Deum fieri hominem propter rationes scilicet petitas ab excellentia tanti Mysterij; secundò vtrum respectiue fuerit conueniens, sine vtrum decuerit vt Deus homo fieret propter redimendos homines; tertio vtrum absolute necesse fuerit: quarto vtrum necesse fuerit vt propter nos Verbum caro fieret, & habitaret in nobis.

SECTIO I.

De conuenientia Incarnationis absoluta.

Quid sit conuenientia Incarnationis.

Certum est primò, conueniens hoc loco non vocari id quod est vile alicui, sic enim soli naturæ humana fuisset conueniens Incarnatio; non autem Deo, cui nulla ex Incarnatione venit utilitas, vt docet eleganter Augustinus in Psalm. 15. non vocari etiam conueniens id quod propter singularem aliquam proportionem quam habet ad aliud, exigat fieri, sic enim illa conueniens non esset nisi Deo, non autem homini, qui ex nullis principijs suæ naturæ potuit exigere, vt Deus homo fieret. Significat ergo (conueniens) id quod decet fieri, seu quod fieri est ita conforme rectæ rationi, vt si fiat optimæ possint afferri rationes quare factum sit.

Duplex conuenientia Incarnationis.

Certum est secundò, conuenientiam Incarnationis, & necessitatem eius esse duplicem, aliam absolutam, aliam respectiuam: absoluta est decencia Incarnationis ob rationes ab eius excellentia petitas, abstrahendo à fine propter quem facta est: respectiua est decencia Incarnationis ob rationes petitas à fine propter quem illa facta est. Quæritur igitur primò hic, vtrum conueniens fuerit ista societas Diuinæ naturæ cum humana propter rationes petitas ab eius excellentia, primò ipsi Deo incarnanti, secundò ipsi Verbo incarnato, tertio carni assumptæ, quarto toti vniuerso.

Prima dubitatio

Ratio dubit. primò esse potest, quia nullo argumento petito ab excellentia Mysterij probati potest conueniens fuisse, vt fieret Verbum homo, quo non probetur fuisse conueniens vt Pater incarnaretur, vel etiam vt assumeret hypostaticè Angelicam naturam, ergo dici non potest opus adeò conueniens vt nullum possit excogitari conuenientius.

Secunda.

Secundò, in nullo genere Deus potest facere, optimè, ergo implicat vt fiat à Deo aliquid, quo nihil facere possit conuenientius & excellentius.

Tertia.

Tertio, illud non potest esse Deo conueniens quod directè opponitur eius excellentiæ, omnibusque attributis, sed incarnari Deum directè opponitur eius excellentiæ, omnibusque illius perfectionibus, quia predicantur de Deo per hanc vniouem imperfectiones omnes creatæ vno excepto peccato, ergo non est Deo conueniens Incarnatio.

Prima conclusio de conuenientia cum Deo. Prima ratio S. Th.

Dico primò, ita fuit conueniens Incarnatio ipsi Deo, vt nullum Deo conuenientius opus vel esse vel excogitari possit.

Duas ad id probandum rationes affert S. Thomas quibus complexus esse videtur eas omnes quæ à sanctis Patribus plurimè afferuntur; primam habet in argumento sed contra, quæ tamen magis videtur probare Incarnationis conuenientiam propter finem. Conuenientissimum Deo est vt optimo modo attributa

eius manifestentur, sed nullo excogitabile opus est, in quo diuinæ omnes perfectiones illustrius manifestentur quàm Incarnatio, ergo incarnari Deum fuit Deo conuenientissimum, quia quatuor præsertim attributa sunt Dei, quæ maximè conuenit homini manifesta esse, Potentia, Sapientia, Iustitia, Benignitas, illas nullum Dei opus potest splendidius declarare; primò enim Potentiam demonstrat infinitas compositi, quod producitur per hanc actionem, est enim infinita eius dignitas, ac maiestas, ad cuius productionem, infinitam Potentiam patet exigere; deinde infinitæ quoque Potentiæ argumentum est coniunctio infinite distantium extremorum cuiusmodi sunt Deus & homo: unde (inquit S. Thomas) magna fuit potentia in coniunctione disparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad spiritum creatum, maxima verò in coniunctione ad spiritum increatum, ubi unitur actus purus cum pura potentia, supremus spiritus cum infimo, imò cum carne.

Dispositio in Incarnatione.

Secundò sapientiam mirificè quoque vno hæc declarat, inuenit videlicet modum quo Diabolus hominum deceptor deciperetur, quo difficillimi pretij decentissima exhiberetur solutio, quo supra grauitatem aliquo modo infinitam, peccati satisfactio exhiberetur superabundans à nobis qui nullam eius portionem dare poteramus, imò & plus quodammodo exigere possemus, & per Christum mereri, quam dati nobis, à Deo possit, nisi det nobis filium ipsum suum: Deniq; nihil esse potest mirabilius quàm ostensio summæ ac seuerissimæ Iustitiæ, in summa, & profusissima misericordia: quam coniunctio primi & vltimi, Verbi scilicet quod ex se primum omnium producit, & hominis in quo terminat sua opera.

Dei sapientia in Incarnatione.

Tertio manifestat iustitiam & seueritatem in homines, quibus sine satisfactioe rigorosa non condonauit peccatum, in dæmonem quem vinci voluit ab eo quem à se victum esse gloriabatur, quod argumentum lausissimè Patres tractant.

Dei iustitia.

Quarto, manifestat infinite Benignitatem & amorem apparuit enim benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei in uerborum quia scilicet hominis iacentis, & inimici non despexit infirmitatē, & pro peccatis peccato debitis maiora, quàm sperari aut cogitari possent confert dona gratiæ: sic videlicet dilexit, vt ab Augustino 10. ciuitatis cap. 29. meritò appelletur Incarnatio, maximum exemplum gratiæ, neque potuisse Dei gratiam gratius commendari. Accedunt duo maximè propria munera amoris vno & communicatio: non potest autem excogitari maior vno quàm illa per quam amicus amicum dicit alterum se, est enim verò Deus homo, neque maior esse potest communicatio quam ista, ubi non per solam sententiam vt omnibus rebus creatis neque per solam gratiam, vt iustis, sed per propriam substantiam & Personam Deus communicat se ipsum homini Christo, & per illum transit ac effunditur totus in nos, effectus vnus ex nobis nouus Adam.

Benignitas & amor.

Alteram rationem habet S. Doctor in corpore articuli etiam optimam; quod alicui competit secundum rationem propriam suæ naturæ maximè illi conueniens est, homini videlicet maximè conueniens est ratiocinari, quia eius natura est esse rationale, sed incarnari Verbum competit Deo secundum propriam rationem summæ bonitatis, qui proprius Naturæ diuinæ character est, & omnia (vt ait S. Dionysius) complectitur Deinomina; ergo Incarnationis opus maximè conueniens Deo est. Minor prob. sicut ad boni rationem pertinet vt se aliis communicet, sic ad rationem summi boni pertinet, vt se communicet summo modo, sed Incarnatio est opus in quo Deus summo modo se ipsū comunicat creaturæ, ergo Incarnatio competit Deo secundum propriam rationem summæ bonitatis.

Secunda ratio S. Thom.